

Ion

Plato



SOCRATES: Ionem salvere iubeo. Unde nunc ad nos advenisti? Nunquid ex Epheso patria venis?

ION: Nullo pacto, o Socrates, sed ex Epidauro ab Aesculapiis.

SOCRATES: Nunquid et rhapsodorum, id est eorum qui poetarum carmina recitant, certamen Epidaurii Deo instituerunt?

ION: Non in his solum, sed in alio quoque genere musicae.

SOCRATES: Quid igitur? tu nobis istic decertasti? quomodo certasti?

ION: Prima, o Socrates, certaminum praemia retulimus.

SOCRATES: Probe inquis: ut in Palladis celebratione victoriam consequamur.

ION: Erunt haec quidem, si deus voluerit.

SOCRATES: Etenim, o Io, artem vestram semper plurimi feci, quod et arti vestrae conveniat ut ornetis corpus, et quam pulcherrimi semper appareatis; tum quod oporteat in plurimis atque bonis poetis, in Homero praesertim poetarum omnium optimo divinissimoque assidue versari, neque carmina illius solum, verum etiam sensa perdiscere. Nunquam enim aliquis in rhapsodum evaderet, nisi ea quae a poeta dicta sunt intellexerit. Nam poetae mentem interpretari apud auditores oportet; quod quidem recte fieri nequit, si quis poetae sententiam ignorarit. Haec vero omnia digna quae aemulemur.

ION: Vera dicis, o Socrates; atque ego quidem in hoc plurimum elaboravi, praeclarissima sane prae ceteris de Homero me explicaturum profiteor, ut neque Metrodorus Lampsacenus, neque Stesimbrotus Thasius, neque Glaucos, neque aliquis unquam veterum tot tamque praeclara Homeri sensa quot ego exponere queat.

SOCRATES: Recte, o Io. Constat enim quod nulla invidia prohibebit quin haec mihi aperias.

ION: Et auditu sane dignum est, o Socrates, quam vehementer Homerum exornarim. Unde aequum esse censeo ut ab iis qui Homeri studiosi sunt corona aurea coroner.

SOCRATES: Olim profecto te audiendi quandoque nanciscar: nunc autem hoc unum mihi responde, utrum circa Homerum solum, an etiam circa Hesiodum et Archilochum id possis.

ION: Nequaquam, sed circa Homerum solum: satis enim mihi esse videtur.

SOCRATES: Suntne aliqua de quibus Homerus et Hesiodus eadem referant?

ION: Ac multa quidem esse arbitror.

SOCRATES: Utrum melius ea quae dicit Homerus, an quae dicit Hesiodus explicares? referunt.

ION: Aequae, in iis quae similiter

SOCRATES: Quid autem in his de quibus non eadem dicunt?

ION: Et maxime quidem.

SOCRATES: Et in quo poetae isti consentiunt, discrepant, quando de vaticinio loquuntur, utrum ipse melius quam peritus vates aliquis explicares?

ION: Vates melius.

SOCRATES: Si autem vates esses, non illa tantum in quibus conveniunt, verum etiam in quibus dissentiunt, exponere posses?

ION: Patet.

SOCRATES: Quid porro? num circa Homerum vehemens facundusque es, circa Hesiodum aliosque poetas minime? An Homerus de aliis rebus agit, quam de iis quae et alii poetae tractant? Nonne multa quae ad bellum, et quae ad consuetudines bonorum invicem malorumque, privatorum atque opificum attinent, enarravit? Et de diis quemadmodum secum invicem et cum hominibus versantur, deque affectionibus caelestibus? item et de his quae apud inferos sunt, tum deorum et heroum generationes cecinit? Nonne circa haec omnis Homeri poesis versatur?

ION: Vera, o Socrates, loqueris.

SOCRATES: Nonne eadem ceteri poetae decantant?

ION: Eadem certe, sed non ita ceteri ut Homerus.

SOCRATES: An forte deterius?

ION: Multo deterius.

SOCRATES: Melius ergo Homerus?

ION: Melius certe.

SOCRATES: O Io, lepidum caput, cum multi de numero verba faciunt, et eorum aliquis recte dicit, nonne potest quispiam in ea re bene dicentem nosse?

ION: Potest.

SOCRATES: Nunquid ille ipse, qui male dicentem noscit, an alius?

ION: Ipse idem.

SOCRATES: An non hic est qui arithmetica arte est praeditus?

ION: Profecto.

SOCRATES: Cum multi de cibis, quales salubres sint, loquuntur, et aliquis recte ea de re loquitur, utrum alius quidam bene dicentem quod recte, alius male dicentem quod male dicat, animadvertet? an unus et idem?

ION: Idem proculdubio.

SOCRATES: Quis hic? quod illi nomen?

ION: Medicus.

SOCRATES: Nonne summatim dicimus, cum plures eadem de re loquuntur, quod unus atque idem tam illum qui male, quam illum qui bene loquitur internoscet, et nisi eum qui in eadem re aberrat cognoverit, nunquam eum qui recte sentit agnoscet?

ION: Profecto.

SOCRATES: An non ipse idem in utrisque peritus est?

ION: Prorsus.

SOCRATES: Homerum atque alios poetas, e quorum numero est Hesiodus et Archilochus, eadem referre asseris, non tamen eodem modo, sed melius Homerum, alios autem deterius?

ION: Et vera loquor.

SOCRATES: Si illum qui bene dicit cognoscis, eos qui male dicunt quod errent intelligis.

ION: Convenit.

SOCRATES: Si ergo dicamus, o vir optime, Ionem circa Homerum aliosque poetas similiter peritum esse atque vehementem, nequaquam errabimus: quandoquidem ipse iudicem eundem idoneum esse circa omnes illos qui eadem in re versantur confitetur, poetas vero pene omnes eadem effingere.

ION: Quamobrem igitur, o Socrates, cum de alio poeta quispiam disserit, neque mentem adhibeo, neque quicquam existimatione dignum dicere possum, sed oscito protinus atque torpeo; postquam vero Homeri quis mentionem fecerit, confestim excitor atque mentem adhibeo, succeditque quicquid instituo?

SOCRATES: Nequaquam arduum est, o amice, huius causam coniectare. Constat enim quod neque arte neque scientia de Homero scite loqui potes. Nam si arte, de aliis omnibus poetis similiter loqui valeres, poesis enim totum est. nonne?

ION: Est certe.

SOCRATES: Nonne postquam aliquis aliam quamvis artem integram comparavit, aequae de omnibus quae sub arte sunt iudicat? Eadem quippe de omnibus artibus considerandi ratio est. Vis tibi referam qua ratione id dicam?

ION: Opto per Iovem, o Socrates. Nam quoties vos sapientes illos audiivi, miro quodam gaudio statim afficior.

SOCRATES: Velim, o Io, vera dices. Verum sapientes vos rhapsodi et histriones estis, et illi quorum vos poemata decantatis; ego autem nihil praeter veritatem loquor, quemadmodum decet idiotam hominem. Nam id de quo paulo ante percontabar, intueri quam leve sit et facile cognitu: adeo ut quivis quod narrabam percipere possit, eandem per cetera esse considerationem, si quis artem sibi integram comparavit. Exempli causa, nunquid pingendi ars totum quiddam est?

ION: Est.

SOCRATES: Nonne pictores multi, partim boni, partim mali, et sunt et fuerunt?

ION: Certe.

SOCRATES: Vidistine aliquem qui et ea quae recte et quae non recte Polygnotus Aglaophontis filius pinxit, sufficienter ostendere potuit, quae vero pictores alii non potuit; et si quis aliorum pictorum opus ostenderit, obdormiat, neque facultas illi ad dicendum aliquid coniiciendumque suppetat, cum vero de Polygnoto, vel de uno quovis pictore sit iudicandum, expergiscatur, et mentem adhibeat, et facultatem dicendi habeat?

ION: Non per Iovem.

SOCRATES: Quid in fabris statuariis? vidisti quenquam qui ea quae Daedalus Metionius, aut Epius Panopei filius, aut Theodorus Samius, vel alius quispiam statuarum faber bene est machinatus, exponere valeat, in aliorum vero sculptorum operibus torpeat atque obmutescat?

ION: Per Iovem nunquam virum talem reperi.

SOCRATES: Atqui nec in tibiarum flatu, ut arbitror, nec in pulsu citharae, nec in illo ad citharam cantu, neque in rhapsodia virum intuitus es, qui Olympi opera, vel Thamyrae, vel Orphei, aut Ithacensis Phemii rhapsodi exprimere possit, in operibus vero Ionis Ephesii deficiat, neque percipere conferre possit quae bene et quae contra modulatur.

ION: Quid in hoc tibi contradicam non habeo, sed tamen mihi ipsi conscius sum, me prae ceteris hominibus pulcherrima de Homero referre, neque deesse mihi dicendi copiam; alios vero omnes hac in re me laudare, in ceteris vero nequaquam. Tu vero quidnam hoc sit vide.

SOCRATES: Video, o Io, et quod mihi id esse videtur, tibi aperire incipiam. Ut bene de Homero loquaris ars tibi non praestat, ut modo dicebam, sed divina vis est quae te movet, sicut in lapide quem Magnetem Euripides nominavit, nonnulli Heraclium vocant. Qui lapis non solum ferreos anulos trahit, sed vim etiam anulis ipsis infundit, qua hoc idem efficere possint, ac perinde ut lapis alios anulos trahere. Unde longa plerunque concatenatio ferri et anulorum invicem pendet, et omnibus his ex illo lapide vis attrahitur. Ita ipsa Musa poetas divino instinctu concitat, poetae conciti alios furore corripunt. Quare ex his omnibus series ipsa contextitur. Omnes itaque epici poetae boni non arte, sed divino afflatu capti omnia ista praeclara poemata, et melici boni similiter dicunt: ut Corybantes non sana mente saltant, ita melici poetae egregii non sana mente hos cantus effingunt; sed ubi in harmoniam et rythmum insurgunt, et rapti bacchantur, quemadmodum bacchantes feminae, mente non sana mel et lac ex fluminibus hauriunt, sana autem mente haurire nequeunt; idque tum efficit melicorum animus, quod ipsi narrant. Aiunt enim nobis poetae, quod e fontibus quibus mel scaturit haurientes, et a Musarum viridariis collibusque decerpentes carmina ad nos afferant, quemadmodum mel ex floribus apes, et instar apum volare se dicunt. Qua in re vera loquuntur: res enim levis, volatilis atque sacra poeta est, neque canere prius potest quam deo plenus, et extra se positus, et a mente alienatus sit. Nam

quandiu mente quis valet, neque fingere carmina, neque dare oracula quisquam potest. Non arte igitur aliqua haec praeclara canunt, quae tu de Homero refers, sed forte divina id quisque recte efficere potest, ad quod Musa quempiam incitavit. Hic Dithyrambos, ille laudes alicuius, hic Hyporchemata choreasque, alius carmina, alius item iambos canit; ad cetera vero illorum quisque rudis et ineptus est. Non enim arte, sed divina vi haec dicunt. Nam si de uno quoquam horum per artem recte loqui scirent, de ceteris quoque omnibus idem possent. Ob hanc vero causam Deus illis mentem surripiens, ipsis tanquam ministris utitur oraculorumque nunciis et divinis vatibus, ut nos qui audimus percipiamus non eos esse qui tam digna referunt, cum suae mentis compotes minime sint, sed haec deum loqui, et per hos nobis haec inclamare. Huic autem rei evidentissimo argumento esse potest Tynnichus Chalcidensis, qui antea poema nullum memoria dignum composuerat: hymnum autem in Apollinem quem omnes cantant, omnium ferme cantilenarum pulcherrimum, Musarum inspiratione invenisse se dicit. In hoc maxime deus ostendisse videtur nobis disputandum non esse, quin praeclara haec poemata divina deorumque potius quam humana hominumque sint opera; poetae autem nihil aliud sint quam deorum interpretes, dum sunt furore correpti, a quocunque tandem numine quis corripiatur. Quod quidem deus ostendere volens, de industria per ineptissimum poetam pulcherrimam cecinit melodiam. An non vera tibi referre videor?

ION: Mihi certe per Iovem. Atque animum meum his sermonibus, Socrates, demulces et afficis. At divina quadam forte a diis poetae insignes haec nobis interpretari videntur.

SOCRATES: Nonne vos rhapsodi poetarum scripta interpretamini?

ION: Vera narras.

SOCRATES: An non interpretum interpretes estis?

ION: Sumus.

SOCRATES: Animadvertite quid velim, et hoc mihi responde, o Io, neque id de quo te interrogabo mihi occultaveris. Cum apte carmina refers, et stupore percultos reddis spectantes, sive dum Ulyssem in limen insilientem cantas, et procis palam se ostendentem, atque sagittas ante pedes effundentem, sive Achillem impetum in Hectora facientem, seu dum miserabile quiddam et querulum circa Andromachen vel Hecubam vel Priamum profers, utrum tunc

mentis es compos? An a mente alienatus? et rebus gestis quas refers afflatus animus interesse illis se cogitat, sive in Ithaca, sive apud Troiam sint gesta, seu quocunque alio te carmina rapiant?

ION: Perspicuam mihi coniecturam, o Socrates, attulisti, neque id occultaturus tibi recensebo. Quoties enim miserabile quicquam dico, lacrimis implentur oculi; cum aliquid terribile aut vehemens, arrectae propter terrorem comae eriguntur, et cor salit.

SOCRATES: Nunquid mentis compotem eum virum tunc esse asserimus, qui in sacrificiis et celebrationibus pulchra veste aureisque coronis ornatus ploret, cum nihil horum amiserit? aut nimis trepidet is, qui inter viginti millia hominum sibi amicorum sit constitutus, nemine eum vel exuente vel iniuria afficiente, fateri velimus? Nonne spectantium multitudinem superne ab ipso suggesto conspicias, et flentes et toruum tuentes, atque his adhibere mentem? Nam si lacrimas excutiam, ipse argentum suscipiens ridebo; sin autem risum illis moveam, ipse argentum amittens flebo.

SOCRATES: Videsne spectatorem esse anulorum extremum, illorum inquam quos sub magnete lapide vim invicem suscipere referebam? Medius autem es tu recitator, et minus; primus autem est ipse poeta: deus vero per omnes istos hominum animum quocunque vult trahit, dum invicem vim suspendit et traicit; ex quo velut ex illo lapide series longa dependet, qua e latere gradatim nectuntur hi qui in choro saltant, et praeceptores et subpraeceptores, huiusve catenae a Musa anuli suspenduntur; poetarum autem hic ex alia, ille rursus ex alia Musa suspenditur. Vocamus autem id nos mente capi, quod quidem illi proximum est. Nam ab his utique primis anulis qui poetae sunt, alii rursus ab aliis corripuntur diviniique fiunt: nonnulli ab Orpheo, a Musaeo alii; nec pauci ab Homero occupantur atque tenentur, quorum, o Io, unus es qui ab Homero furore correptus es. Et si quis scripta alterius poetae cecinerit, obdormiscis, atque tibi dicendi deest facultas; si quis vero huius poetae decantaverit melodiam, confestim excitaris, animus salit, et dicendi facultas sufficit. Non enim arte neque scientia, sed divina quadam forte et mentis occupatione ea quae de Homero dicis recenses. Et quemadmodum Corybantes illam duntaxat melodiam acute sentiunt quae illius dei est a quo rapiuntur, ad eumque concentum decentibus verbis et figuris abundant, alios vero contemnunt; ita et tu, o Io, si quis Homeri mentionem fecerit, es in dicendo facundus, in aliis vero tibi copia deest. Eius

itaque quod quaerebas, quare circa Homerum copiosus es, circa alios deficiis, haec est causa, quoniam non arte, sed divina forte gravis es Homeri laudator.

ION: Recte dicis, o Socrates: admirarer tamen si tam acute differeres, ut mihi prorsus persuaderes me, cum lymphatus atque furens sum, Homerum laudibus celebrare; neque enim furens, ut arbitror, tibi viderer, si me de Homero verba facientem audires.

SOCRATES: Atqui audire volo, neque tamen prius quam mihi responderis ex iis quibus de Homerus dicit, quae potissimum bene dicat; non enim de omnibus.

ION: Optime nosti, o Socrates, quod de omnibus.

SOCRATES: Non tamen ea bene tractas quae tu quidem ignoras, Homerus autem scribit.

ION: Quanam ista sunt, quae Homerus quidem narrat, ego autem nescio?

SOCRATES: Nonne saepenumero multa de artibus explicat, velut de aurigaria disciplina? si meminero, illius carmina tibi recitabo.

ION: At ego referam: memini enim.

SOCRATES: Dic mihi quae mandat Nestor Antilocho filio, cum illum monet ut in equestri cursu, gratia Patrocli instituto, caute

ION: flectat equos. Declina ad laevam paulum, dextrumque iugalem urge plagis minitans, manibus quoque lora remitte. Cumque metam attigeris, flectatur laevus in arcum, donec ad extremum circuli pervenerit axis ultimus, ac medium vita, nec tangito saxum.

SOCRATES: Sufficiunt haec, o Io. Rectene an contra in his carminibus Homerus loquatur, utrum melius medicus an auriga perciperet?

ION: Auriga proculdubio.

SOCRATES: Utrum arte hoc iudicium fiat, an alio quopiam?

ION: Non alio certe quam arte.

SOCRATES: Nonne cuique arti facultas a deo tribuitur certi cuiusdam operis iudicandi? neque enim ea quae gubernatoria arte cognoscimus, medicina quoque percipiemus.

ION: Non certe.

SOCRATES: Neque etiam quae medicina perspicimus, architectura animadvertemus.

ION: Non sane.

SOCRATES: An non similiter in omnibus artibus quae una quadam arte comprehendimus, alia minime comprehendemus? Sed hoc prius mihi responde. Aliam et aliam artem esse asseris?

ION: Assero.

SOCRATES: Nunquid eadem tu qua ego coniectura artes discernis? Nam ipse quidem, cum haec aliarum, illa aliarum rerum scientia est, hanc aliam, illam aliam artem voco. Tu vero?

ION: Et ego.

SOCRATES: Si enim eisdem de rebus scientia esset, cur hanc aliam et illam aliam vocaremus? quandoquidem eadem ab utrisque cognosceretur. Quemadmodum a me percipitur quinque esse hos digitos, et tu sicuti ego hoc idem animadvertis. Unde si te rogarem, utrum eadem arte arithmetica, an alia haec eadem cognoscamus, responderes utique quod eadem.

ION: Certe.

SOCRATES: Dic quod paulo interrogaveram, utrum secundum omnes artes videatur tibi dicendum, quod eadem arte eadem cognosci necessarium sit, alia vero arte non eadem, sed alia quaedam, quandoquidem ars alia ipsa est.

ION: Ita mihi videtur, o Socrates.

SOCRATES: Si quis artem aliquam assequutus non fuerit, dicta vel facta huius artis bene discernere nequaquam poterit.

ION: Vera narras.

SOCRATES: Ea carmina quae tu retulisti, sive bene sive male ab Homero canantur, utrum tu melius an auriga perciperet?

ION: Auriga.

SOCRATES: Recitator enim es, non auriga.

ION: Nempe.

SOCRATES: Recitatoria vero facultas ab aurigaria alia est.

ION: Videlicet.

SOCRATES: Quod si alia ars est, aliarum quoque rerum scientia est.

ION: Aliarum profecto.

SOCRATES: Quid vero, cum Homerus illud affert, quod Hecamede, Nestoris pellex, saucio Machaoni medelae potionem porrigit, cui vinum Pramnium infundit, insuper atterit caseum caprinum aeneo quodam instrumento, farinam quoque caseo miscet, et ad haec cepe obsonii loco apponit? Rectene an contra haec ab Homero dicantur, utrum medicinae artis an recitatoriae iudicium est?

ION: Medicinae.

SOCRATES: Quid cum Homerus dicit, In mare se mersit, retis Thaumantias instar, quod trahit ad fundum plumbi subtexta gravedo muniti cornu, sortem dans piscibus atram: haec quid sibi velint, et utrum recte an contra dicantur, nonne ars piscatorum melius quam recitatorum animadvertet?

ION: Constat quod ars piscatorum id iudicat.

SOCRATES: Si praeterea me ita rogaes, postquam, o Socrates, in Homeri carminibus invenisti quae cuique istarum quae dictae sunt artium iudicanda sunt, age iam mihi reperias quatenus a vate vaticinioque iudicari conveniat, rectene an contra ab Homero sint dicta: adverte quam facile ac vere tibi respondeam. Saepenumero in Odyssea scribit, praesertim ea quae Melampodorum vates Theoclymenus adversus procos fatur: O miseri, quid nunc heu vobis imminet atri, dum mollem noctu capitis per membra soporem! Cuncta fremunt luctu, resonat plangoribus aether; scissaque tristia madent lacrimis manantibus ora. Vestibulum plenum est simulacris, omnis et aula; sub tenebris Erebus riget, extinctoque per orbem lumine velatur tristi caligine caelum. Saepenumero etiam in Iliade, ut in murorum expugnatione quae ad vatem pertinent tangit. Ibi enim sic inquit: Certabant Danaï Troiae percurrere muros, altivolans Iovis pendebat desuper ales, unguibus incurvis rubrum complexa draconem. Pellebatque acies in laevam, tum ferus ille respirans, et adhuc transfixo pectore luctans, ore petens aquilam perstrinxit vulnere guttur. Illa dolens anguem dimisit in agmina lapsum, sauciaque in ventos pennis sublata refugit. Haec equidem dicam, et alia huiusmodi a vate considerata iudicandaque esse.

ION: Et vera quidem dices, o Socrates.

SOCRATES: Et tu, o Io, vera narras. Age, quemadmodum tibi ex Odyssea et Iliade excerpsi quae ad vatem, quae ad medicum, quae ad piscatorem pertinere videntur, sic et tu qui maiorem in Homeri scriptis peritiam habes eligas et adducas in medium quae sunt recitatoris propria, quae praeter alios homines ipsi considerare iudicareque convenit.

ION: Omnia, o Socrates, assero.

SOCRATES: Non omnia tu supra dicebas, o Io. Num ita obliviosus es? Atqui non decet recitatorem hominem obliviosum esse.

ION: Quidnam obliviscor?

SOCRATES: Non memoria tenes artem recitandi aliam ab aurigaria dixisse?

ION: Teneo.

SOCRATES: Nonne cum alia sit, alia cognituram es confessus?

ION: Profecto.

SOCRATES: Non igitur omnia percipiet secundum sermonem tuum ars recitandi, neque ipse etiam recitator.

ION: Immo omnia praeter talia quaedam.

SOCRATES: Cum praeter talia quaedam dicis, praeter ea quae aliarum artium sunt ferme significas. Sed quaenam cognoscet, postquam non omnia noscit?

ION: Quae decens est ut vir loquatur, quae mulier, servus, liber, subiectus, princeps, haec omnia noscet.

SOCRATES: Quod decens est ut princeps in mari navi tempestate iactata afferat, recitatorne magis quam gubernator cognoscet?

ION: Non, sed gubernator melius hoc percipiet.

SOCRATES: Sed ea quae decens est ut princeps in morbo loquatur, recitator melius quam medicus intelliget?

ION: Neque haec.

SOCRATES: Sed ea quae servo conveniunt, dicis?

ION: Certe.

SOCRATES: Scilicet quae decens est ut dicat servus bubulcus, dum de furentibus et efferatis bobus confabulatur, recitator ipse, non bubulcus

cognoscet?

ION: Nequaquam.

SOCRATES: Nunquid ea quae decens est ut mulier de lanificio textori referat?

ION: Non.

SOCRATES: Ea quae decens est ut vir dux exercitus dicat, dum milites hortatur, cognoscet?

ION: Talia profecto sunt quae recitator cognoscit.

SOCRATES: Nunquid ars recitatoria eadem est quae et imperatoris?

ION: Intelligerem equidem, si opus esset, quae imperatorem loqui decet.

SOCRATES: Forte enim et imperator es, Ion. Nam si equestri et citharoedica simul disciplina polleres, illos qui bene et qui male equitant cognosceres. Et si te interrogarem, o Io, utrum arte equestri an arte citharoedi illos qui bene equitant cognoscis, quid mihi responderes?

ION: Arte equestri.

SOCRATES: Quod si eos qui bene pulsan citharam cognosceres, confitereris illos non equestri, sed citharoedica disciplina cognoscere?

ION: Proculdubio.

SOCRATES: Cum vero quae ad imperatorem spectant intelligas, utrum imperatoria an recitatoria ista calles?

ION: Nihil mihi referre videtur.

SOCRATES: Quomodo nihil referre dicis? Imperatoriam et recitatoriam artem, unamne an duas ponis?

ION: Una mihi videtur.

SOCRATES: Quicunque igitur bonus est recitator, etiam bonus imperator erit?

ION: Et maxime quidem, o Socrates.

SOCRATES: Num et qui exercitus imperator est optimus, idem recitator est bonus?

ION: Non arbitror.

SOCRATES: Illud tamen admittis, quod quisquis recitator bonus est, bonus est imperator.

ION: Valde.

SOCRATES: Nonne Graecorum optimus est recitator?

ION: Certe, o Socrates: haec enim in Homeri scriptis didici.

SOCRATES: Cur igitur, per deos, cum sis optimus Graecorum omnium dux exercitus, optimusque recitator, passim carmina modularis, militas autem nusquam? nunquid tibi videtur recitator aurea corona decoratus plurimum usui esse Graecis, imperator autem nullo pacto?

ION: Nostra, o Socrates, civitas vestrae subest, a vobisque gubernatur, et idcirco imperatore non indiget. Vestra autem et Lacedaemoniorum respublica me nunquam in exercitus ducem eligeret: idoneos enim duces vos esse putatis.

SOCRATES: O optime Io, Apollodorum Cyzicenum non cognoscis?

ION: Quem Apollodorum?

SOCRATES: Illum scilicet, quem saepe Athenienses, quamvis hospes esset, imperatorem delegerunt, et Phanosthenem Andrium, et Heraclidem Clazomenium. Quibus haec civitas, licet peregrinis, quia viri praestantes habentur, imperia aliasque potestates mandat. Ionem vero Ephesium imperatorem non decernet, neque honore afficiet, si virtute praestare visus fuerit? Quid vero, nonne vos Ephesii prisca origine Athenienses estis, Ephesusque nulla civitate est inferior? Sed tu, o Io, siquidem vera praedicas, et scientia arteque potes Homerum laudare, iniuria me afficis; quippe qui professus multa et pulchra Homeri scire, teque ostensurum mihi pollicitus, me nunc decipis, ac permultum abest ut ostendas. Siquidem nec quae sint ista, quorum peritus es, nec qua sis facultate instructus, aperire vis, me diu iam obsecrante; ceterum tanquam Proteus varius varie mutaris, sursum, deorsum, in omnia te vertens, adeo ut postremo me subterfugiens, Imperator evaseris, ne mihi ostendas quanta facultate in Homeri sapientia promulganda sis praeditus. Si enim arte tibi hoc inest, quemadmodum nunc dixi, pollicitusque exponere decipis, certe iniurius es. Sin autem cares arte, et forte quadam divina ab Homero raptus, cum nihil intelligas, multa et pulchra circa poetam hunc dicis, ut ego de te iudicabam, non facis iniuriam. Elige utrum mavis, iniustus homo an divinus a nobis existimari.

ION: Longe differt, o Socrates, et multo pulchrius est indicari divinum.

SOCRATES: Hoc itaque quod pulchrius est, tibi a nobis tribuitur, o Io, te scilicet divinum potius quam artificiosum Homeri laudatorem esse.